

Differen-
tia.

inferne concavam refert Massarius, ut Conchae videri possint; Cirros ex imo emittere ad modum Polypi.

Duo hujus apud Rondeletium genera. Primum ita describit: Pars una veluti fungosa quaedam massa, rotunda, cava, in medio perforata, purpurea veluti fasciola ambiente, pileum plane refert: altera parte Polyporum pedibus similis est. Octo enim pedes habet crassiusculos: extremis partibus quadratos, in acutum desinentes, nullas interiores partes distinctas habet. Corpore est adeo pellucido et splendido, ut oculos offundat. Ad eam magnitudinem accrescunt, ut pileos, quibus viatores uti solent, superent.

Alterum, quatuor duntaxat pedes seu frondes habet, qui foliis acanthi comparari possunt: in altera parte lineae stellatim disponuntur. Hujus generis illa quoque videtur, quam Bellonius ita descripsit. Mollis quidem et alba corpore cartilagineo, ac crystalli in morem pellucido, quod in mucorem facile resolvitur. Gibbam habet instar dimidiatæ sphaeræ figuram, glabram, pollicis crassitudine: cujus pars interna nervis rectis a medio incipientibus, quasi striis fulvi coloris in gyrum radiatur, quibus se diffundit et constringit: qua corporis commotione aquam concutit, et nunc in primum

nunc in supinum effertur. Pinnarum vice pinnis tenuibus et aegre conspicuis in orbem communitur, ut Lepus marinus. Cruciformes quoque cirros, striatos, crassos, in modum stellae radiatos, numero quaternas, parte interna natationi accommodatos habet: quas ut exacte conspicias, erit in lebetem aquae syncerioris conjiciendus: qui si supinus devolvatur, multas fissuras in radice cirrorum ostendet.

Os quoque habet parte prona situm, quo ea, quae venatur, absorbet, in quem ulum quatuor cirri ad ejus latera subjacent, coloris synopidis, quasi ejus branchiae essent, vel intestina. Hinc fit, ut intuentibus pulmonem in mari pabulandi gratia divagantem, grandis videatur quasi pituitae globus, qui unicum tantum colorem referret, nisi rubris illis quatuor circulis figillaretur, et ea cruce, qua interna pars striata est, distingueretur.

Ad primum genus referenda est *Urtica soluta Mathioli*, quam hic damus. In frustra divisa, ac in mare conjecta, vivit nihilominus ac movetur: extra mare exanimis apparet. Emortua in alto mari, ac in littus ejecta, transparentis glaciei similis est. Omnes pruritus in pudendis et uredinem in manibus movent, et acrimonia sua Venerem extinctam et sopitam excitant.

CAPVT II.

De Pulmone marino, et Holothuriis.

TAB. XIX. et XX. Inter Testacea quidem Pulmonem marinum posuisse Aristoteles videtur: Plinius tamen inter Zoophyta recensuit, quem nos sequimur. Aldrov. l. 4. c. 3. Arist. H. A. l. 5. c. 15. *Pulmo marinus* dicitur ita, vel a pulmonum nostrorum figura, vel ab eorundem substantia laxa, et molli, foraminulisque plena. Kiranidis interpretes Cunnum marinum exponit, et sic pro *Urtica soluta*, sed falso, sumere videtur.

Sane decoctum pulmonis commendant Medici: at *Urticae* substantia est nimis mollis, et pituitae con-

cretæ similis, qua in aquam abit; et nec in cinerem redigi, nec in aqua decoqui, corpore aliquo superstite potest.

Descriptionem ejus vix ex antiquis obtineas. Plinius per mare ferri ubi imminet tempestas, plurimumque dierum hyemem portendere scripsit: Ephesus vero non adhaerere, sed absoluta esse, addidit. Commendantur ad pilos evellendos. In aceto putrefacto et mento aspersæ carnes, fugam illorum facere dicuntur. Cinis alligatus egregie profluvia purgat. Decoctus vero in aqua, calculosis medetur.

Descriptio.
Plin. H. N.
l. 8. c. 35.